



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

§. II. Corollaria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73455)

6. *Implicat in DEO receptio cujuscunque forma accidentalis.*
7. *Ex consensu PP. & DD.*
8. *Ex ratione simpliciteris, immutabilitatis, & perfectionis.*
9. *Rejectione diviso accidentium in decora & indecora.*
10. *D. Anselmi mens expenditur.*
11. *Instantis de Incarnatione & decretis liberis breviter occurritur.*

§. I.

Veritas Catholica.

Mutatio latissime accepta est *transitus intrinsecus de contradictorio in contradictorium, quo res jam intrinsecè aliter se habet, quam antè.* Unde tria sunt de conceptu mutationis. Primum est, subjectum saltem in aliquo priori signo rationis constitutum in potentia ad suum terminum, secundum est, terminus à quo amissibilis: omnis enim *translatio* (teste S. Bern.) *interemptio est pristina*, tertium est terminus ad quem acquisibilis. Hic itero illud mutabile dicimus, quod potest de uno contradictorio intrinsecè transire in aliud contradictorium, sive se in se ipso aliter habere quam antè.

Dico *intrinsecè & in se ipso.* Si enim res susceptiva contradictoriorum in se ipsa nihil intrinsecè acquirit, aut perdat, opposita denominationes non oriuntur ex aliqua mutatione illius rei in se, sed alterius circa ipsam: quomodo Verbum de denominatur unitatem humanitati Christi, quod antè non erat unitum, non ex acquisitione novæ formæ & relationis à Verbo, sed acquisitione novæ formæ, perfectionis, & relationis ab ipsa humanitate; unde etiam tota mutatio est ex parte humanitatis.

Porro res aliqua potest intrinsecè mutari, vel ex principiis intrinsecis, eritque mutabilitas ab intrinsecò; idque vel in ordine ad terminum substantialem, ut corpora subalternaria in se habentia materiam, quæ est radix corruptionis, vel in ordine ad terminum accidentalem, ut corpora celestia in ordine ad motum, & Angelus in ordine ad suas operationes. Vel secundò potest in se mutari à principio tantum extrinsecò, eritque solum mutabilitas ab extrinsecò, quod fit in illis naturis, quæ in se nullum habent principium suæ destructionis; sed potius intrinsecam exigentiam suæ conservationis & perpetuitatis, ut Angeli, visio beatifica &c. quia tamen ab aliqua causa extrinseca in esse & conservari dependent, ab eadem quoque absolute destrui, & annihilari possunt.

CONCLUSIO. *DEUS est omnimodè immutabilis.* Est de fide definitum in c. firmiter. & habetur pl. 101. *In autem idem ipse es, Jac. 1. Apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio,* quam immutabilitatem non tantum essentialem sed etiam accidentalem explicat D. Anselmus Monol. c. 24. *Sicut igitur semper sibi esse est omnino eadem substantialiter; ita nunquam est à se diversa modo, vel accidentaliter.* Ecce infra. *Illud sine dubio verum est; quia de summè incommutabili natura nihil potest dici, unde mutabilis potest intelligi.*

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. I.

Ratio est: Omnis mutatio vel est intrinseca, vel extrinseca, sed utraque DEO repugnat: ergo DEUS est omnimodè immutabilis. Minor probatur: nam in primis ens à se est independens ab omni causa influxu, ac proinde neque extrinseca seu logica, neque intrinseca seu physica mutationis est capax. Secundò: actui puro & enti infinito nulla potest obesse perfectio: ergo nullam potest perfectionem, nullum esse amittere vel acquirere, nec proinde mutari: Ratio quoque actus puri omnem excludit potentialitatem, quam mutabilitas essentialiter involvit. Tertiò ratione simplicitatis: quia quicquid DEUS habet, est ipse DEUS: ergo sicut semetipsum nec acquirere potest nec amittere; ita nihil de novo seu substantiale seu accidentale intrinsecè potest acquirere vel amittere.

§. II.

Corollaria.

Inferes ex dictis primò, *Esse impossibile, ut aliqua creatura sit simpliciter tam intrinsecè quam extrinsecè immutabilis, uti dicit D. August. 12. de Civ. c. 1. Dicimus itaque immutabilem non esse nisi unum verum DEUM beatum: ea verò, quæ fecit, bona quidem esse, quòd ab illo, verumtamen mutabilia, quòd non de illo, sed nihilo facta sunt.* Ratio est: sicut DEUS est ens à se, actus purus, infinitus, simplicissimè suum esse & operari: sic econtra creatura essentialiter est ens ab alio, ex nihilo, ens potenziale, compositum ex essentia & esse, habens potentiam obedientialem, & operari à se distinctum, ergo sicuti è priori ratione inferitur omnimoda immutabilitas DEI: sic è posteriori rectè inferitur essentialis mutabilitas creaturæ tam extrinseca, quam intrinseca.

Inferes secundò: *Repugnare divinæ immutabilitati omnem cujuscunque formæ accidentalis receptionem.* Est non tantum contra hæresin Calvinistæ Vorstii dicentis: *DEUM defacto esse compositum ex substantia & accidente, inter quæ numerat libera DEI decreta, quæ dicit esse accidentia quædam ab ipsius substantia longè diversa. sed etiam contra quosdam RR. dum aliqui apud Henricum à S. Ignat. dist. 5. q. 2. a. 2. docent, liberas DEI volitiones esse aliquid non inhæsiivè, sed adhæsiivè DEO intrinsecum, & ab ejus substantia realiter adæquatè distinctum: Alius vero Recent. Scotista in Theod. d. 2. de attrib. contròv. 3. distinxit formas accidentales in aliquas, quæ arguunt aut præsupponunt aliquam imperfectionem DEO indecoram & indignam: & in alias, quæ indecoram, compositionem non arguunt: illarum novam receptionem dixit repugnare DEO, non item istarum.*

Contra quos probatur illarum, in primis ex communi consensu omnium Doctorum, qui omnem compositionem seu divinæ simplicitati & immutabilitati repugnantem ex mente Conc. Rhemensis erroris damnant, & jam damnavit S. D. l. 1. contra gentes c. 23. dicens: *ex hac veri-*

H

veri-

veritate offensa (scilicet quod in DEO nullum accidens esse possit) error quorundam confutatur, qui ponunt quasdam intentiones divine essentie superadditas: Ubi S. D. nihil distinguit, sintne formæ & intentiones inhærentivæ, vel adhærentivæ in DEO, sed illas univèrsaliter erroris arguit. ibidemque addit, divina substantia omnino accidens non inest. In hanc sententiam Catholicæ DD. conveniunt.

Constat secundò ex definitione Leonis I. ep. 93. ad Turib. c. 5. De DEO quidquid dignè sentitur, non qualitas est, sed essentia: incommutabili enim nihil accedit.

8 Constat tertio ex simplicitate DEI: quod enim ex multis & differentibus constat, compositum est. inquit D. Damasc. 1. d. fid. c. 12.

Constat quartò ex immutabilitate; ut enim loco citato S. D. accidens de se natum est inesse, & non inesse, si igitur DEVS habet aliquid accidentaliter sibi conveniens sequeretur, quod ipse sit mutabilis. Est itaque, inquit D. Aug. 11. d. Civ. c. 10. bonum solum simplex, & ob hoc solum incommutabile. Constat quinto ex infinita DEI perfectione superius exposita.

9 Unde planè ridicula est distinctio, in accidentia DEO decora & indecora, cum quodlibet sic maximè indecorum. utpote destructivum ipsius divine essentie & perfectionis, subjectum quippe comparatur ad accidens, ut potentia ad actum. inquit iterum S. D. infra q. 54. a. 3. ad. 2. quod verum est, si accidens inhæreat, si adhæreat, est enim actus aliquis dans esse accidentale.

Imò frivola quoque est illa divisio accidentium in inhærentia & adhærentia, cum inhærentia saltem aptitudinalis sit ipsa accidentis essentia, & juxta Philos. 3. metaph. c. 7. ac S. D. in 1. part. q. 28. a. 2. accidentis esse sit inesse: Audi Athanasium orat. 5. non est qualitas aliqua in DEO. Apagè: (NB.) indecorum enim istud est: sic enim reperietur DEVS ex substantia & qualitate compositus, eò quod scilicet sit in substantiam & accidens. Et D. August. 4. de Trin. c. 4. 5. nihil accidens in DEO, quia nihil mutabile aut amissibile.

D. Anselmus ab Adversario allegatus nequaquam favor Adversario, sed hoc solum vult, quod de DEO de novo possint dici quedam formæ relata, & non in DEO receptæ, ipsique intrinsicè efficientes, sed ad ipsum extrinsecè terminatæ, eumque extrinsecè denominantes: ut esse Creatorem, &c. ut offendit luculenter Magnus P. Petschacher in tract. de Incarnat. q. 1. a. 3. §. 1. & satis patet ex ipso textu: nam in Monol. c. 24. sicut igitur summa natura accidentibus mutationem efficientibus nunquam in sua simplicitate, locum tribuit; sic secundum ea, qua nullatenus summa incommutabilitati repugnant, aliquando NB. dici (hoc est denominari extrinsecè) aliquid non respuit.

Subjungit ejusmodi, formas de novo denominantes, non esse proprie accidentia: quemadmodum illa accidentia, qua mutationem aliquam accedendo, vel recedendo faciunt, ipsa suo effectu verè accidere rei, quam mutant, deprehenduntur: Sic illa, que a simili effectu de-ficiunt, improprie dici accidentia deprehenduntur. Negat deinde Divinam essentiam esse à se diversam ullo modo vel accidentaliter.

Tandem concludit: quoquo modo sese habeat, ratio de proprietate nominis accidentium, illud sine dubio verum est: quia de summe incommutabili natura nihil potest dici, unde mutabilis potest intelligi.

Obijciunt Adversarii unionem hypostaticam, quæ Verbum Divinum de novo unitum, & incarnatum intrinsicè denominatur: item libera DEI decreta, v.g. decretum creandi mundum, quæ possent à DEO abesse, potuissent enim DEUS æquè nolle, quàm velle creare mundum. Sed ad primum Respondeo: Verbum de novo denominari intrinsicè unitum, non aliquid intrinsicè recipiendo, sed naturam humanam intrinsicè perficiendo, adeoque non passivè sed activè & perfectivè. Ad secundum, divina decreta esse contingentia & posse abesse terminativè, non autem subiectivè: de quo infra ex instituto, ubi de voluntate DEI.



ARTICULUS VII.

De aternitate DEI.

S U M M A R I A.

1. Diverse rerum durationes.
2. Definitio & explicatio aternitatis.
3. Veritas fidei.
4. Sequitur aternitas ex immutabilitate, perfectione, aternitate.
5. Sine imperfectione dicitur DEUS mensurari aternitate.
6. Nulla Creatura mensurabilis aternitate simpliciter.
7. Aternitas mensura aliena & extrinsecè creata durationis.
8. Quis sensus physica existentia rerum in aternitate?
9. Aternitatis perfectio alia intensiva alia extensiva.
10. Tria predicata aternitatis, infinitas, indivisibilitas, immutabilis uniformitas durandi.
11. Præterita & futura sunt physice presentia aternitati.
12. Auctoritas PP.
13. Non salvatur & solvitur per objectivam presentiam.
14. Auctoritas D. Thome.
15. Coexistentia aternitatis probat physicam rerum presentiam.

16. Item